

Universitätsbibliothek Wuppertal

Iulianu Autokratoros Ta Sōzomena, Kai Tu En Agiois Kyrillu Archiepiskopu Alexandreias Pros Ta Tu En Atheois Iulianu Logoi Dekα

Julian

Lipsiae, Anno MDCXCVI.

Petri Martinii epistula nuncupatoria editionis suae operum Iuliani
imperatoris

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1694](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1694)



PETRI MARTINII,

Morentini Nauarri,

EPISTOLA NUNCUPATORIA

editionis suæ operum Iuliani Impe-
ratoris.

OTHONI COLIGNIO.

Cardinali Castellonio

PETRUS MARTINIUS,

Morentinus Navarrus,

S



Pero equidem, Cardinalis amplissime, neminem fore, qui mihi iure succenseat, si Iuliani Imperatoris monumenta in vulgus edidero. Etenim ut impietatis & tyrannidis scelera, quibus se homo ille misere implicauit, nefaria & odio digna esse concedam; eloquentiæ quidem certe geniique clarissima lumina nihil, opinor, mereant cur una cum illis extinguantur. Alioquin tollantur e medio Demosthenes, Cicero, Homerus, Virgilius, Plato, Aristoteles, & vno nomine omnes elegantis & politæ literaturæ auctores, poetæ, oratores, philosophi: denique humanitatis & prudentiæ artes omnes tollantur, quod fere a superstitiosis aut impiis hominibus traditæ sint. Quod si fieret, quam quæso rempublicam hodie teneremus? At e Latinis Lucretius,

aaa

cretius,

cretius, e Græcis Porphyrius & Lucianus, Græce & Latine leguntur editi: & tamen qui horum monumenta extare con- queratur, esse arbitror neminem. Pertinet enim ad historiæ fructum in primis, atque ad antiquitatis notitiam, non solum illos aliquando vixisse, sed etiam qui qualesque fuerint, cogno- scere. At fuerunt impii. Esto, siquidem & horum exempla, valent ad homines deterrendum, atque ab impietate reuocan- dum: hinc ille infelix Theseus exemplo suæ miseriæ clamat a- pud inferos, sicut est apud Virgilium sexto Æneidos: 6, 620.

Discite iustitiam moniti, & non temnere diuos.

Est autem Iuliani historia præcipuæ cuiusdam attentionis at- que animaduersionis. Fuere in eo naturæ atque ingenii do- tes eximiæ, magna virtus ac prope singularis in belli & pacis rebus administrandis; accesserat ad hæc tot bona veræ pieta- tis cognitio, amplis etiam vitæ testimoniis ornata. Sed homo imperii cupiditate flagrans, magicis ludibriis atque artibus ca- ptus, Christo renuntiavit, & summi potestatem imperii ade- ptus, crudelissime Christianos vexavit, scholis eos prohibuit, magistratibus mouit, bonis spoliavit, Athanasium expulit, de- nique modis omnibus Ecclesiam turbavit atque afflixit. Com- modum igitur erit, & quis temporum illorum status, & qui sen- sus bonorum fuerit, ex his monumentis recordari. Enimuero quanta demum voluptas fuerit Ecclesiæ tantis malis perfun- ctæ ac liberatæ, non modo actorum laborum meminisse, sed & hostes, a quibus toties vulnerata sit, pulsos, & castra deserta, et eorum ducem prostratum ac iacentem intueri? Sic nempe Troiani illi, longæ obsidionis tædio defatigati, quum hostes amotos vident, lætantur, ut ait idem Poeta secundo Ænei-

dos:
Virgil. Æ. 2, 26.

Ergo omnis longo soluit se Teucra luctu:
Panduntur portæ, iuuat ire, & Dorica castra
Desertosque videre locos, littusque relictum:
Hic Dolopum manus, hic sæuus tendebat Achilles.

Quare ad illam historiæ utilitatem hæc voluptas his legendis accesserit. Quamobrem si nulla in his scriptis eloquentiæ aut ingenii gratia appareret, attamen nemo, ut opinor, ægre fer- re debeat, illa utilitatis & voluptatis commoda per nos secum esse communicata. Quod autem ad editionis fidem attinet,

quo-

quoniam exemplar unicum ex Petri Rami bibliotheca nactus
eram, idque locis aliquot vitiosum; veterem lectionem, ubi
peccare videbatur, ex nostro sensu mutauimus, sed in margi-
ne, quemadmodum antea legeretur, admonuimus. Acci-
pies igitur, Cardinalis amplissime, & hoc editionis munuscu-
lum, & me eius auctorem, ea humanitate, qua soles omnes
accipere, in quibus aliqua virtutis ac bonæ voluntatis signifi-
catio appareat. Multæ sunt atque illustres in omni genere
laudes tuæ, sed vna in primis, quamdiu erunt litteræ, prædi-
cabitur atque in cælum feretur: quod Academiam Parisiensem
tueris, ornas, amplificas: quod tua liberalitate multorum
studia sustentas: quod denique bonos & doctos singulari stu-
dio atque amore complecteris. Quod vero Petrum Ramum,
præceptorem meum, eximie diligis, non dico me unum, sed o-
mnes qui ubique terrarum sunt, veræ institutionis amantes,
eius vigiliis excitatos & adiutos, in perpetuum tibi deuincis
atque allicis ad te amandum omnique officio prosequendum.
Habeo autem & alia nonnulla, vt in cæteris Hebræam gram-
maticam Logico artificio a nobis elaboratam, quæ in tuo no-
mine propediem edetur, si hæc tibi non ingrata accidisse co-
gnouero. Vale. Lutetiæ, Calend. Maji, M D LXVI.

Eiusdem

PRÆFATIO

in Iuliani Imperatoris Misopogonem;

vbi de auctoris vita ex variis, præcipue

Marcellini, locis differitur.



IULIANVM Imperatorem singulari ingenio & eloquentia fu-
isse, monumenta eius declarant: cæterarum etiam virtutum
principe dignarum laudes ei non mediocres in historia tribu-
untur; vt, si vera sunt quæ de eo memorantur, non dubitem
eum parte ista cum summis principibus conferre. Verum lau-
des istas omnes vna impietatis & ἀποστασίας macula in perpe-
tuum deleuit atque extinxit. Magnum est hoc exemplum, & in primis confide-
randum, vt & principes & priuati homines tantæ & tam miseræ ruinæ periculum